



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

Epistola Eminentissimi Cardinalis Corradi Ad Stephanum Baluzium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

EPISTOLA EMINENTISSIMI CARDINALIS CORRADI  
AD STEPHANUM BALUZIUM.

*Perillustri & admodum Reverendo Domino D. Stephano Baluzio  
Canonico Remensi.*

**P**ERILLUSTRIS ET ADMODUM REVERENDE DOMINE.  
Acceptæ profectò mihi fuerunt litteræ tuæ, Baluzi erudite. Nam hominis recti studiosi, atque ejus qui præclaræ memoriæ PETRI DE MARCA istius civitatis Archiepiscopi summa mecum, dum in humanis agebat, amicitia juncti discipulus extitit, sinceræ humanitatis officia præ se ferunt. Quod autem epistolam miseris à te conscriptam, qua doctissimi ac piissimi illius Prælati mores vivendique rationem ac res gestas scriptisque mandatas enarras, hoc gratissimum omnino fuit. Quippe veram præ oculis meis exhibet tanti viri effigiem: cujus quoniam viventis amplexibus ac suavissima perfrui consuetudine magna locorum distantia vetuit, nunc vita functi illustria monumenta virtutis assidue contemplari licebit. Nam illius vitam probatissimam optimo cuique exemplar & memoriam omnibus seculis recolendam merito dixerim. Agamus itaque, mi Baluzi, ut quæ vir præstantissimus scriptis suis edocuit, & quæ à ceteris scribenda ipse fecit, nos quoque pro viribus imitemur, ut vinculis demum hujus humanitatis soluti, vita cum eo (ut sperare fas est) fruamur æterna. Quod faxit D. O. M. à quo veram precor tibi felicitatem. Romæ VII. Kal. Aprilis MDLXIII.

D. V.

*Ad officia paratissimus  
I. Cardinalis CORRADUS.*

CLARISSIMI VIRI IOACHIMI PASTORII HISTORIOGRAPHI  
Serenissimi Regis Poloniae Casimiri epistola ad clarissimum virum  
Antonium Baluzium Varaviae regio lateri assistentem.

*Generosissime Baluzi, Domine & amice honoratissime.*

**V**ITAM magni viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis descriptam à plurimum reverendo agnato tuo Stephano Baluzio Canonico Remensi cum gratis emitto tibi, postquam illam non sine magna animi voluptate perlegi. Quippe qui singulari & quodammodo insita inclinatione feror ad hoc genus monumentorum quod insignium virorum virtuti actionibusque donat præmium immortalitatis, ceteris verò mortalibus exemplum ponit quo imitentur ac veluti face prævia ducantur in similem veræ gloriæ tramitem. Si quis autem hominum sacra dignitate illustrium, Petrus utique ille hanc docti penicilli operam meritus est; cui de civilium honorum statione in ecclesiasticam transgresso vitæ color non unus, nunquam tamen nisi pulcherrimus fuit. Vtique enim is exactæ indolis vigorem, suavem ad devinciendos animos genium, indefessam ad res laudatissimas industriam, doctrinam, prudentiam, dexteritatēque in agendo, perpetuum denique in augendo virtutis & sapientiæ regno studium ostendit. Certè, ut ex agnati tui elegantissima epistola, vera nimirum tanti viri effigie, intelligi potest, nunquam ille quievit, sed semper & faciendo magna & scribendo utilem se orbi juxtāque admirabilem reddidit, amator juxtā cultorque omnium qui aut facerent aut scriberent æternitate digna. Video de Rege suo, video de rep. sacra, literaria, civili optimè meritum. Video rebus præsentibus ita intentum fuisse ut simul multa egregia in abyssò vetustatis morientia aut jamjam moritura erueret de tenebris, venerandisque adeo prisorum temporum ruderibus & suum seculum & futura instrueret ornaretque, eo ipso profectò dignissimus immortalitate, quod quicquid immortalitate dignum crederet, id, quantum in se erat, non pateretur mori, & ideo immortalitatis magistros, etsi ipsos morta-